

Sammelband

Eby 101.

+

Programmā
SVB PRÆLECTIONES

Brevis sed perutilis

LIBELLI GRÆCO-LATINI, DE SEPTEM PRIO-
ribus Concilijs Oecumenicis,


P. P.

In Academia Julia

Eusebius


De vita Constantini lib. I. cap. 44.

Ἄλλως δὲ δυνατὸν τὰ μεγάλα τῶν σκεμμάτων ἦν Διὸς οὐ-
νόδων κατορθώσας.



HELMSTAADI,
Typis heredum Iacobi Lucij.

Anno cI2 I2 cXX.





BENEVOLO LECTORI.



Vantopere non modò utilis, sed
& necessaria sit futuro Theologo,
imò etiam Sacerdoti, omnibusq;
quibus animus est pro concione
verbum Dei docere, & funda-
menta pietatis rudi plebeculæ tradere, eius-
demque vitam & mores emendare, adeoque
singulis Christianis, cognitio sacræ historiæ,
non ea tantum, quæ in sacris Bibliis habetur,
sed & quæ Apostolorum tempora subsecuta
est, quam *Ecclesiasticam* vocare solemus, so-
le clarius est, & quidem adeò, ut, nisi quis
planè rudis, & rerum omnium ignarus sit,
de eo ambigere non possit. Marc. Tullius
lib. de Oratore ad Brutum inquit: *nescire,*
quid, antequam natus sis, acciderit, id est, sem-
per esse puerum. Quod si id de historia secu-
lari, quæ vulgò prophana dicitur, verum est,
quantò verius ac rectius de *Ecclesiastica* adfir-

A 2

mari

mari poterit, sine qua Scripturam sacram nec recte intelligere, nec dextrè interpretari possumus. Taceo, quod ab Ecclesiaste non minùs, atq; à Politico requiritur prudentia quædam, præsertim in casibus conscientiam cernentibus, absque qua planè insulsus erit, & recte suo officio fungi, munusq; docendi, meâ quidem sententiâ, imò omnium sanorum judicio obire non poterit. Salvator noster apud Matthæum cap. 10. v. 16. monet Apostolos suos, adeoq; omnes Christianos, ut serpentum prudentiam, & simplicitatem columbarum imitentur. Quam sententiam D. Hieronymus epistolâ ad Paulinum eruditè, ut omnia, explicat. *Habeto*, inquit, *simplicitatem columbe*, ne cuiquam unquam machineris dolos, & serpentis astutiam, ne ab aliorum supplanteris insidiis; Idq; S. Hilarius, qui ipso ætate paulò superior est, libro de Synodis *simplicem sapientiam*, & *sapientem simplicitatem esse* dicit. D. Chrysostomus hom. 36. super priorem epistolam ad Corinthios, pro sua grandiloquentia, illa Christi verba aliquantò uberiorū interpretatur, quando ait:

Ωωες

λατερ Φρέονησις μετὰ παιδερίας τόν ἀν οὐ Φρέονησις, ὅτω καὶ
ἀφέλεια μετ' ἀνοίας, τόν ἀν οὐ αφέλεια. καὶ γάρ εἰ τῇ αφέλειᾳ
τὸν ἀνοίαν φεύγειν δεῖ, καὶ εἰ τῇ φρενήσις τὸν πονηρόν. Κα-
τάπερ γάρ ὅτε τὰ πικρὰ φάρμακα τέρεσθε τὸ δέοντόν, ὅτε τὰ
γλυκέα ὄντα, ὅτως γὰρ αφέλεια καθ' εαυτὴν, γὰρ φρενησίς.

h.e. *Quomodo prudentia cum scelere ac ma-
leficio non fuerit prudentia, ita etiam simili-
citas cum amentia, non fuerit simplicitas.
Nam & in simplicitate fugienda est amentia,
& in prudentia vitium & nequitia. Quomodo
enim neque amara neque dulcia medicamenta
prosunt, si sint plus, quam par sit, ita nec sim-
plicitas per se, nec prudentia. Comparatur
autem prudentia, quae ab omni fuko & frau-
de aliena esse debet, diligenti & assiduâ le-
ctione historiarum. Vnde Cicero profa-
nam appellat *magistram vita*, Ecclesiasticam
verò quidam vir doctus vocat speculum Epi-
scorum in doctrina. Et hæc quoque con-
ducit non modò, ut diximus, ad intelligen-
tiā Scripturam, sed etiam ad convincen-
dos ἀνπλέγοντας, ut Paulus loquitur, Tit. i. v. 9.
quos & idem Apostolus hæreticos appellare
solet. Etenim docetur in illa, quomodo hi à
magnis Ecclesiæ doctoribus, quos Patres no-*


minare conservimus, ex Scriptura refutati &
confusi, & à tota Ecclesia in hac vel illa Sy-
nodo, latâ sententia damnati & excommu-
nicati, atque anathematis fulmine exclusi
sint, donec agnito & damnato errore suo ad
eam rediissent. Quod quicquid olim
factum fuerit, ex eadem patet, cum primis
autem ex quatuor prioribus Conciliis univer-
salibus, quæ Gregorius M. quatuor Evan-
geliis æquiparare non dubitat, et si ὑπερβολὴ illa
probanda non est. In his damnantur hi no-
biles hæretici, *Arius*, *Macedonius*, *Nesto-*
rius, & *Eutyches*, quorum historia ut ali-
quantò pleniùs à studiosa juventute cognos-
catur, præsertim iis, qui sacro studio dediti
sunt, magnopere interest. Ad eam rem ut
manuductionem ijs præbeam, Compendium
Synodorum, quod paucis ab hinc annis græ-
cè & latinè à me typis commissum est, pub-
licè interpretabor. Circumstantias omnes
cuiusq; Synodi, ad rem ipsam pertinentes,
quæ in Compendio illo paucis verbis attin-
guntur, non ex nuper natis scriptoribus, sed
ex ipsa antiquitate, & probatorum Patrum
monu-

monumentis, qui primi omnium hac de re
scripserunt, & ipsius rei magna pars fuere, ali-
quantò pleniùs explicabo. Annotabo etiam
diligenter loca, libros & capita, atque etiam,
si opus sit, paginas, & editionem cuiusque
Scriptoris, ut, qui volet, ea inspicere, & ver-
ba eorum legere & cognoscere possit. Si qui
etiam illos non habent, iis ad me liber pate-
bit aditus, & copia eos inspiciundi. Hoc
meum studium omnibus probatum iri con-
fido, & Theologiæ cultoribus perutile fore,
mihi omnino persuadeo. Hoc enim fine sta-
tuta Academiæ nostræ Iuliæ mandant, ut unus
ex Theologica facultatis Professoribus historiam
Ecclesiæ omnium temporum: quam habuerit sin-
gulis & atibus doctrinae vocem: quos præcipuos
Doctores & testes, quæ certamina de doctrina, &
& iudicia: quales ærumnas & liberationes, &c.
adiungat: ut iudiciis & consensu catholicæ Eccle-
siae Dei, fidem confirmant: & recrudescientia su-
binde nostris temporibus similia certamina diu-
dicare graviùs possint. Etsi autem latissimè hoc
præceptum patet, & non solum sacra Prophetice
& Apostolica historia, sed omnium etiam Patrum

scripto-

scriptorum historiae Ecclesiastica, Conciliorum, Ca-
nonum, sententiarum Lombardi, & interpretum
illius, & superioris & nostræ etatis certaminum
& scriptorum cognitionem continet: tamen ut a-
ditus iunioribus ad Patrum & Ecclesia omnium
temporum historia lectionem patesiat: unus ex
Senioribus & isoemotegis Theologia Lectoribus u-
nam singulis hebdomadis horam, vel Chronico Ca-
rionis Philippæo, cuirerum Ecclesiasticarum series
simi breviter intexta est, tribuet; vel ipse Chro-
nologiam Ecclesia, quæ formam ac statum Eccle-
sia singulis temporibus, & doctorum celebrium
nomina, scripta utilia, & naevos, & certamina
de doctrina ac iudicia complectatur, dictabit. Hæc
ibi. Evidem quantum fieri poterit, brevi-
tati, quæ omnibus grata esse solet, studebo,
ita tamen, ut omnino nihil, quod ad rem fa-
cere videtur, & cognitu necessarium est, præ-
termittam. Hæc paucis, candide Lector, te
scire volui. Salve & vale. Helmstadij. P. P. die
Visitationis Mariæ. anno c Iɔ Iɔ CXX.

JOHANNES à FVCHTE
SS. Theol. D. & in academia
Julia Professor.






Jeffz

ULB Halle
007 375 514

3




TA-2a

VON



D.G.
in
Ch.





The image shows the title page of an antique Latin manuscript. The text is arranged in several sections: at the top left, 'imā' and 'CTIONES' are partially visible; below them, 'erutilis' is followed by 'ÆCO-LA-' and 'TEM PRIO.'; further down, 'ecumenicis,' is written. To the right of the main text, there is handwritten marginalia: 'act 6.' near the top, and 'a Julia' and 'lib. I. cap. 44.' lower down. Below these, there is a block of Greek text: 'ν σκευαστῶν ἦ Άγα σο- μαδʒ.' On the far left edge, a portion of a decorative initial 'A' is visible, featuring intricate scrollwork and a tassel-like ornament.